

» doctrina servatur. » Attamen, pergit, « probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum : Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, etc... Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandatores suas. Et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat et dicat : Sicut misit me Pater..., Accipite...; tamen ut unitatem manifestaret, unam cathedralam constituit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædicti et honoris et potestatis ; sed exordium ab unitate profiscitur (et primatus Petro datur) (1) ut una Christi Ecclesia et cathedrala una monstretur.... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit ? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, (qui cathedralam Petri super quem fundata est Ecclesia deserit), in Ecclesiâ se esse confidit?...» (De Unit. Eccl., c. iv — Cfr et Epist. 73 ad Ju-baian., 70 ad Januar., etc., etc.) (2) — Et idem Sanctus, consequenter, quum Novatianus Sedem romanam Cornelio disputaret, singulos hortabatur Romam navigantes, «ut Ecclesiæ catholicæ radi-

(1) Verba hæc : *Et Primatus Petro datur*, atque illa : *Qui cathedralam P. s. q. E. f. e. deserit*, in quibusdam codicibus desunt, ideoque à nonnullis rejiciuntur tanquam glossæ marginales ; verum in aliis codd. adsunt, et tanquam Cypriani citantur in antiquis quibusdam documentis. Neque cæteroquin aliud faciunt quam magis explicitè enuntiare quod è toto S. Cypriani ratiocinio et cæteris ipsius locis satis patet. Etenim

*Objiciunt* quidem adversarii : « Apostoli erant pares.... » — *Resp.* : Pares ordine et potestate propriè apostolicæ ; sed tamen non independentes ac planè autonomi ; siquidem tenebantur servare unitatem atque, ut unitatem servarent, manere uniti cum illâ cathedralâ quæ una prima ad hoc fundata erat.

*Instant* : « Una prima fundata erat ad significandum quodd omnes deberent manere uniti generatim *inter se*, non autem quodd omnes obligarentur manere uniti speciatim *cum ed.*, saltem mortuo Petro. » — *Resp.* : Tunc certè, mortuo Petro, parùm inserviret ; et quid valeret ratiocinium S. Cypriani contra schismaticos sui temporis, si illa quam adeò peremptoriè contra eos invocat, cathedrala fuerit quidem sed jam non sit principium et vinculum unitatis obligatorium?... Cfr D. Maran. : *Præf. ad. opp. S. Cypriani* § III ; *Patr. lat.* Migne T. IV, p. 26 ; — vel DD. Freppel : *S.-Cyprien*, 12<sup>e</sup> leç. p. 281, 282.

(2) Cfr Bossuet, *Lettres à une dem. de Metz*, Lettre II, sur le myst. de l'unité de l'Egl., n. 38 ; — P. Lacordaire : *Lettre sur le Saint-Siège*.

» cem et matricem agnoscerent ac tenerent» : ipse autem mox, compertâ Cornelii legitimitate, properat per litteras « communicatio nem ejus, id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem probare firmiter ac tenere. » (Epist. 44, seu 4 ad Cornelium, n. 3 ; — Cfr Epist. 52 ad Antonianum, n. 1). — Idem aliàs indignatur eo quod assecræ Fortunati, i. e., cujusdam pseudo-episcopi ab hereticis constituti, « navigare audent et ad Petri cathedralam atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est (Rom., 1, 9), ad quos perfidia habere non possit accessum. » (Ep. 55, seu 12 ad Cornel., n. 14). — Similiter et **S. Optatus** Milevitanus episcopus (*De schismate Donatistarum*) : « Bono unitatis B. Petrus... claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit... Peccator accepit claves, ut unitatis negotium formaretur (etiam independenter à sanctitate Pastoris, quam Donatistæ necessariam contendebant) (l. VII, c. III). » — Itaque prima è dotibus (seu notis Ecclesiæ) est quod habeat « cathedralam Petro primò collatam, in quod sederit omnium Apostolorum caput Petrus..., in quod und cathedrala unitas ab omnibus servaretur, etc... » Atque instituto exhinc omnium Pontificum Romanorum indice à S. Petro ad Siricum, « hodie qui noster est socius, inquit, cum quo nobiscum totus orbis, commercio formatum (4), in una communionis societate concordat... ; » jam igitur, concludit S. Doctor, « probatum est nos esse in Ecclesiâ sanctâ catholica... et per cathedralam Petri, quæ nostra est, per ipsam, et cæteras doles apud nos esse (l. II c. 2, 3, 9) » — Sic et **S. Ambrosius**, cum cæteris episcopis concil. Aquileiensis, a. 381, Imperatores obsecrat ne romanam Ecclesiam turbari sinant : « inde enim in omnes venerandæ communionis jura diminant. » (Epist. II ad Imperat. n. 4.) — Item, alibi : « Ipse est Petrus cui dixit (Christus) : Tu es Petrus, etc... Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia... » (In Ps. xl n. 30). — « Non habent enim Petri hereditatem, qui Petri sedem non habent. » (De Pœnit. l. I, c. vii, n. 33. — Cfr. eumđ. De

(1) Id est, litterarum communionis certa quâdam distinctiarum formâ, quas nempe episcopi generatim sibi invicem mittere, in testimonium unitatis Ecclesiæ, per plura sacra solempne haberunt. (De his V. D. Martigny : *Dictionn. des Antiq. Chrét.*, v<sup>o</sup> *Lettres ecclésiastiques*.)

*excessu fratris sui Satyri*, l. I, n. 47, etc.) — (1). — Sic et **S. Augustinus** adversus Donatistas dicit « Carthaginis episcopum potuisse » non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret » et romanæ Ecclesiæ, in quâ semper viguit apostolicæ cathedralæ principatus, et cæteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam » venit, per communicatorias litteras esse conjunctum. » (*Epist. 43*, aliâs 162, n. 7; — Cfr et *Epist. 53*, aliâs 165, n. 2; — etc.). — Idem etiam Sanctus, adversus eosdem, hæc à plebis africanis, per modum psalmi, cantari faciebat (*V. Retractat. l. I. c. xx*; — Cfr Wiseman ap. Migne *Dém. évang. T. XVII*, p. 543):

» Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite.  
» Dolor est cum vos videmus præcisos ita jacere.  
» Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Petri sede,  
» Et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte :  
» Ipsa est petra, quam non vincunt superba Inferorum portæ. »

(*Psalmus contra partem Donati*, Strophe S.)

Et cfr ejusdem S. Doctoris *Epist. 53*, aliâs 165, *ad Generosum*, ubi indicem Romanorum Pontificum reverâ instituit, sicuti jam fecerant SS. Irenæus, Optatus, itemque **Epiphanius** : « Per hæc enim, hicce » inquit, perpetuò certa accurataque veritas ostenditur. » (*Panarium adv. hæreses*; *Hæres. xxvii*, 6). — Nec alia mente **S. Hieronymus** ad Damasum Papam : «..... Ego nullum primum, nisi Christum » sequens, *Beatitudini tuae, id est, cathedralæ Petri communione consocior*. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arcâ non fuerit, peribit regnante diluvio.... Quicumque tecum non colligit, spargit : *hoc est, qui Christi non est*, Antichristi est.... Hinc (in Syriâ) in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat.... Ego interim clamito : *Si quis cathedralæ Petri conjungitur, meus est....* (*Epist. 15 et 16*, aliâs 57, 58). — Cfr et **Theodoreum** (*lib. V Hist.*, c. 3); — et **S. Leonem M.** (*Epist. 10 ad episcopos Vienn.*, n. 1); etc. — Quibus demum omnibus planè consonat *Formula à S. Hormisdâ Papâ* Constantinopolim missa,

(1) V. quæ è S. Ambrosio collegit et intexit D. Baunard : *Hist. de S. Ambroise; Introd. § V.*

a. 519, ad extinguendum schisma, ut aiunt, Acacianum (1); cui subscrpsere omnes episcopi orientales (2), et quam etiam multum approbabère episcopi occidentales, « ut certum sit, inquit Bossuet (3), hanc formulam à totâ Ecclesiâ catholicâ comprobatam ; » rursus autem hæc pluriès abhinc contra varias hæreses exhibita est et speciatim à Conc. gen. viii (4). Quæ sic habet : « Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, et à Patrum traditione nullatenus deviare ; quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicens : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus ; quia in Sede apostolicâ inviolabilis semper catholica custoditur Religio... Quapropter sequentes in omnibus Sedem apostolicam, et prædicamus omnia quæ ab ipsâ decreta sunt, et propterea spero in unâ communione vobiscum, quam apostolica Sedes prædicat, me futurum in quâ est integra christiane Religionis et perfecta soliditas : promittentes in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ catholicæ, id est, in omnibus non consentientes Sedi apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo à professione mœa dubitare tentavero, his quos condemnavi, per condemnationem propriam consortem me esse profiteor.... »

Ex his certè abundè liquet Traditionis continuitas et unanimitas

(1) V. Blanc : *Cours d'hist. eccl.*, leg. LXVIII-LXXI.

(2) Subscrpsere, sub regno Justini Imp., forsitan duo millia et quingenti, teste Rustico diac.; *Contra acephalos disput.*, in fine; ap. Migne *Patr. Lat. t. LXVII*, p. 1231.

(3) *Defensio declarationis cleri gallic.* L. X, c. vii. Cfr Rohrbacher : *Hist. de l'Egl. l. XLIII* in fine. — V. quoque Fénelon : *Second mandement pour la réception de la constit. Unigenitus*, § vi; Opp. ed. Versal. t. XIV, p. 540.

(4) Unde eam videre est pluriès iisdem ferè verbis repetitam, ap. Labbe aut Mansi in *Collect. Concil.*; v. g., tum in Epist. ipsius Hormisdæ eam mittentis (Labbe, t. IV, p. 1444; Mansi, t. VIII, p. 407), tum in rescripto Joannis, episc. C. P., ex quo eam hic transcribimus (L. ibid, p. 1486; M. p. 451), tum in tribus successivis Justiniani Imp. rescriptis (L. ibid. p. 1686, 1790, 1801; M. p. 733, 847, 857), tum demum in Actis Conc. gen. VIII, C. P. iv (L. t. VIII, p. 988; M. t. XVI, p. 27), ex quo Conc. Vaticanum eam sumpsit, atque, ex parte, inseruit suæ Constit. de Eccl., c. iy.

in admittendo *Centrum* essentiale cui omnes in Ecclesiâ adhærent: — Nec minus evidens patebit 2º in admittendo *CAPUT* etiam ipsum essentiale cui omnes in Ecclesiâ pareant. Præterquam quòd enim unum ex altero sequitur, ut suprà observatum est, id expressè testantur; siquidem romanum illum Episcopum, qui à **Tertulliano** jam Montanistâ facto vocabatur, ironicè quidem sed sanè non sine causâ, *Pontifex maximus, quod est Episcopus episcoporum....* (1), — ita **S. Cyprianus** rogat ut Marcianum, episcopum Arelatensem Novatiano addictum *deponat*: « Dirigantur in Provinciam, et ad plebem Arelate consistentem, à te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur. » (*Ep. 67, ad Stephanum, n. 3.*) — Item **S. Basilius** ad **S. Athanasium** circa res Orientalium scribit: « Visum est nobis consentaneum scribere ad Episcopum romanum ut res nostras invisat, et consilium dare ut, quia difficile est aliquos illinc communi ac synodico decreto mitti, ipse auctoritatem rei tribuat (αὐθεντησαι) delectis viris qui laborem itineris perferre possint. » (*Epist. 69, n. 1*; cfr et *Epist. 70 ad Damasum Papam* de eodem argumento (2); itemque *Epist. 263, n. 3*, circa Eustathium; in quas V. Wiseman loc. cit. p. 928). — Similiter et **S. Joannes Chrysostomus** à sede C. P., in conciliabulo episcoporum, exauktoratus, *Innocentium episcopum Romæ* rogat ut hæc tam iniquè facta ille irrita declareret, et horum auctores pœnæ ecclesiasticarum legum subjaceant (*Epistolæ duæ ad Innoc. Papam*). — Et certè idem **S. doctor** jam dixerat: « Cur sanguinem effudit Christus? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus ejus tradidit. » (*De Sacerdotio, l. II, n. 4.*) — « Ecclesiæ præfecturam Petro per universum mundum tradidit. » — « Petri arbitrio et potestati omnia commisit. » etc., etc. (*Hom. de Pœnit., n. 2;* — *Hom. in S. Ignatium martyr., n. 4.*) — Similiter et **Theodoreetus**, Cyrensis episcopus, qui à damnatione suâ in conciliabulo seu *Latrocino* Ephesino ad **S. Leonem** papam appellans, Renato ecclesiæ romanæ pres-

(1) *De Pudicitid*, c. i. — Cfr et c. xiii, xxi. — In hæc V. DD. Freppel: *Tertullien*, 25<sup>e</sup> leç., t. II, p. 138.

(2) Ex his patet quòd, si posteà **S. Basilius** vividiùs forsan quam decuit, conquestus est de modo quo Pontifex romanus cum Occidentalibus in his eisdem negotiis judicaverat (*Epist. 214, 239*), non *jus* ideò denegabat quod ipse prius ita agnoverat et invocaverat.

hytero scribit: « Oro sanctitatem tuam, sanctissimo et beatissimo Archiepiscopo (1) persuadeat ut apostolicâ potestate utatur et ad concilium vestrum (me) advolare præcipiat. Habet enim sanctissima illa Sedes ecclesiarum quæ in toto sunt orbe, gubernium (γραμμά) multis titulis, etc... » *Epist. 116. V.* et *Epist. 133: Leoni, episcopo Romæ*; et 113 bis, quæ est **S. Leonis** ad Theodoretum (2). — Ejusdem etiam **S. Leonis**, *V. Sermonem IV de natali ipsius*. — Multa alia item iis conferre esset, uti v. g. *Epistolas episcoporum africanorum* ad *Innocentium Papam*, et rescripta *Innocentii* (inter opp. **S. Augustini**, *Epist. 175-184*; *V. speciatim Epp. 181, 182*). — Quibus denique omnibus succinit **S. Prosper Aquitanus**:

« Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris  
» Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,  
» Relligione tenet.... »

(*Carmen de ingratis*, v. 40 — Cui cfr *Lib. II de vocatione gentium*, c. 16).

Nec non et **S. Avitus Viennensis**, eamdem ac nunc est, omnium Galliæ antistitum mentem exprimens (3): « De causâ romanæ Ecclesiæ anxiamenti ac trepidi sumus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes.... » quia nempe « si papa Urbi vo- catur in dubium, episcopatus videbitur, non episcopus, vacillare. » (*Epist. 31 ad Faustum et Symmachum*. — Et huc usque quidem de Patribus singulatim. — Insuper autem eadem reperire est scripta aut approbata per Patres in Conciliis etiam generalibus congregatos (4),

(1) Ita vocat **S. Leonem**, quemadmodùm **S. Cyrillus**, alexandrinus Patriarcha, **S. Coelestinum Leonis** prædecessorem vocaverat « *Archiepiscopum totius orbis, et Patrem, et Patriarcham magnæ urbis Romæ* » (*Homil. XI, encom. in S. Mariam Deiparam*; t. X, edit. Migne p. 1039).

(2) In his V. Rohrbacher, *Hist. de l'Egl.*, l. XL et XLI.

(3) Quānam occasione V. ap. Blanc: *Cours d'Hist. eccl.*, leç. LXX, n. 1.

(4) Utrum Concilium Nicænum, generale I, de primatiâ Romani Pontificis aliquid explicite habuerit, non constat. (V. tamen ap. DD. Héfélé: *Hist. des Conc.*, T. I p. 392; — et cfr *Mémoires de l'Ac. des Inscr.*, t. XIX, 2<sup>e</sup> p., p. 252; vel ap. D. de Broglie: *L'Egl. et l'Emp. rom.*, T. II, *Eclairc. B, III*; ) at certè legati à **S. Sylvestro** Papâ, etiam presbyteri, supra

ut colligere est maximè è **Cone. Ephesino gen. III**, in quo postquam Patres « coacti, inquiunt, per sanctos Canones et epistolam sanctissimi Patris nostri et comministri Cœlestini romanæ Ecclesie episcopi, » ad sententiam contra Nestorium venerunt, Philippus presbyter, unus è legatis S. Cœlestini, dixit, nemine certè reclamante : « Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est quòd sanctus beatissimus Petrus apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesie catholice fundamentum, à D. N. Jesu-Christo... claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est : qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet. Hujus itaque secundum ordinem successor et locum tenens sanctus beatissimus papa noster Cœlestinus episcopus nos misit, etc. Quamobrem intelligat Nestorius se à communione sacerdotali Ecclesie catholicæ alienum esse.» (Mansi, t. IV, p. 1295.)

— Idem colligere est è **Concilio Chalcedonensi gen. IV**, cuius patres, in relatione de gestis Synodi, sanctissimo et beatissimo Romanorum archiepiscopo Leoni gratulantur quòd vocis beati Petri omnibus constitutus interpres, ipsis, sicut membris caput præfuit, per legatos, benevolentiam proferens. Dioscoro, Eutychetis patrono, indignantur eo quòd, postquam vineam Domini vastaverit, insuper contra ipsum cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, inquiunt, contra tuam Sanctitatem. Addunt verò : « Rogamus igitur et tuis decretis nostrum honora judicium (de secundo in Ecclesiæ loco sedi C. P. attribuendo) (1); et sicut nos capiti pulchram addidimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat.» (Inter Epistolas S. Leonis, Epist. 98, n. 1, 2, 4, in fine.)

Hæc certè satis, quin plura necesse sit congerere (2), ad demons-

Episcopos præsidebant (V. Wouters : *Dissertationes in selecta hist. eccl...*, T. II, p. 69; itemque DD. Héfélè, op. cit., T. I, p. 36-42). — De *Canonibus*, ut aiunt, *Arabicis* dicetur in *Appendice V<sup>a</sup>*, mox indicandâ.

Concilium deinde Sardicense, quod tanquam Nicæni complementum habetur, jus appellandi « ad Romanum Episcopum » sanxit, ut infrà dicetur. — Concilium C. P. I<sup>um</sup>, quod pro generali II<sup>o</sup> habetur, tentavit episcopo C. P. deferre « honoris primatum post romanum Episcopum. » — De Cone. Ephesino gen. III, et Chalædon. gen. IV, V. citat. in textu.

(1) V. Blanc, lec. LXV, n. 7, t. I, p. 443.

(2) In iis quæ pauca inter plurima ejusdem modi excerptimus loca, quæ-

trandum in antiquâ Ecclesiâ semper et ubique unum habitum esse non modò *Centrum* sed et *Caput* essentiale, Romanorum scilicet Pontificis cathedralæ Petri hæredem.

Quam tantam Traditionem ita Bossuet paucis complectitur : « C'est cette chaire romaine tant célébrée par les Pères où ils ont exalté, comme à l'envi, la principauté de la chaire apostolique, la principauté principale; la source de l'unité, et, dans la place de Pierre, l'éminent degré de la chaire sacerdotale, l'Eglise mère qui tient en sa main toutes les autres églises; le chef de l'épiscopat, d'où part le rayon du gouvernement; la chaire principale, la chaire unique en laquelle seule tous gardent l'unité. Vous entendez, dans ces mots, S. Optat, S. Augustin, S. Cyprien, S. Irénée, S. Prosper, S. Avit, S. Théodore, le Concile de Chalcédoine et les autres; l'Afrique, les Gaules, la Grèce, l'Asie; l'Orient

---

dam consultò omisimus quæ nonnulli theologi proferre solent sed non satis exploratè, utpote dubia saltem auctoritatis. De quibus lectores incertos censemus utiliter monendos in *APPENDICE V<sup>a</sup>*. — Quoad ea autem quæ ab adversariis objiciuntur vel allegantur ad detorquenda vera Patrum testimonia, videri potest, v. g., D. Patric. Murray : *Tr. de Eccl.*, Disp. 19, n. 244 et ss.

Cæterū, præter Patres, potuissemus et ipsos proferre Paganos, qui nempe non prorsùs ignoraverunt episcopum Romanorum apud Christianos instar *Centri* et *Capitis* haberí. Sic enim 1<sup>o</sup>, sub Aurelianii imperio, quum Paulus Samosatenus ab episcopatu Antiocheno in synodo depositus (V. Blanc, lec. XLIII, 7) domino in ejus locum subrogato domum Ecclesiæ nollet cedere, « interpellatus imperator Aurelianus (qui tunc Antiochiæ aderat) rectissimè hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi precipiens quibus Italici christianæ religionis antistites et Romanus episcopus scriberent. » (Euseb., *Hist. eccl.*, I. VII, c. 30.) — Sic et 2<sup>o</sup> Ammianus Marcellinus, ethnicus, narrat quod « Liberius christianæ legis antistites à Constantio ad comitatum mitti præceptus est » quia nimiriū Imperator Athanasio episcopo semper infestus, licet sciret illum à sede sacerdotali in synodo dejectum, « id tamen auctoritate quoque quā potiores externæ Urbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. » (Amm. Marcellini, *Rerum gestarum* I. XV, 7.)

» et l'Occident unis ensemble..... » (*Disc. sur l'Unité de l'Egl.* (1).

Quod autem ita è testimoniis Patrum et Conciliorum expressis, id non minus evincitur

II — è *factis et praxi ecclesiarum.*

Etenim, ut ait J. de Maistre, post relata varia Doctorum testimonia : « Il y a quelque chose peut-être de plus frappant encore, c'est le sentiment général qui résulte d'une lecture attentive de l'histoire ecclésiastique. On y sent, s'il est permis de s'exprimer ainsi, on y sent je ne sais quelle présence réelle du Souverain Pontife sur tous les points du monde chrétien. Il est partout, il se mêle à tout, il regarde tout, comme de tout côté on le regarde. » (*Du Pape*, I, I, ch. viii. — Cfr Pascal, *Ibid. cit. : Pensées ; le Pape, l'Eglise...*, 1, 4). — Et hoc quidem vel à primis Ecclesiæ sacerulis, in quibus nempe illum

(1) Hanc enumerationem valde imperfectam completere esset ex Theoph. Raynaud, in suo op. *Corona aurea super mitram romani Pontificis* (Romæ, 1647). Qui auctor, inquit Perrone (n. 576), incredibili patientiâ et labore, ex Patrum græcorum et latinorum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum scriptis, collegit titulos quibus B. Petrus et romanus Pontifex donati sunt; ac enumerat 495, nonnullos quidem ex operibus quæ nunc ut spuria habentur, plerosque autem è verè genuinis fontibus. V. quid hujusmodi ap. S. Franciscum Sales. : *Controvers.*, I, III, ch. xxxix, — quem etiam citat J. de Maistre : *Du Pape*, I, I, ch. vi. — V. quoque Patric. Murray : *De Ecl.*, disp. XIX, n. 189-209.

Et jam, post tantam nubem testium, liceat præ oculis ponere istas verè mirificas assertionses Pseudo-Jani (*Le Pape et le Concile*, trad. par Giraud-Teulon, p. 99) : «... Tertullien, Cyprien, Lactance, ignorant absolument tous droits particuliers du pape... Dans les écrits des Pères de l'Eglise grecque, Eusèbe, Athanase, Basile le Grand, des deux Grégoire de Nazianze et de Nyssa, d'Epiphane, on ne peut trouver un seul mot des priviléges d'un évêque romain. Le plus fécond des Pères grecs, Chrysostome, se tait entièrement sur ce point; de même les deux Cyrille; de même les Latins, Hilarius, Pacien, Zénon, Lucifer, Sulpice, Ambroise... Parmi les nombreux ouvrages de S. Augustin..., on ne peut produire au fond qu'un seul mot, jeté dans une lettre... » etc., etc. !!!,

videre est non solum *Centri* modò stare ad quod omnes perpetuò conveniant, ut mox aiebat Irenæus, sed etiam *Capitis* more jam tum agere et influere in omnes vel longinas Ecclesiæ partes, — nondum forsitan adeò frequenter et immediatè ac posteà, sed quantum certè temporum postulabat necessitas et sinebat difficultas. — Sic nimirùm, ut ait doctissimus Cardin. Wiseman (1) : « S. Pontifex Clemens Ecclesiæ Corinthi abusus examini subjecit atque correxit (2); Victor, Ephesi; Stephanus, Africæ (3). — Sæculo III<sup>o</sup>, S. Dionysius Papa S. Dionysium Alexandriæ patriarcham sibi rationem reddere jussit de ipsis fide, circa quam fuerat ab ovibus suis apud Romam accusatus; et sanctus patriarcha incunctanter

(1) 8<sup>e</sup> *Confér.*, p. 927. — Videre est etiam, ap. DD. Freppel : *Clem. d'Alex.*, 1<sup>e</sup> leç. p. 17-23 (vel, germanicè, ap. Hagemann : *De Ecl. rom. et de ejus influxu in disciplinam et in dogma per tria prima Ecclesiæ sæc.*, Hildesheim et Friburgi, 1864), quomodo Ecclesia romana inter varios interdum ecclesiarum particularium excessus sese semper moderatricem tulerit, ut principem decet. *Tu regere imperio populos...*

(2) V. Blanc : *C. d'hist. eccl.*, leç. X n. 1. — Et quidem quantâ auctoritate Clemens id fecerit, multò evidenter patet è fragmentis 1<sup>æ</sup> ac authenticæ Epistolæ ejus, huc usque desperatis, novissimè autem repertis (V. *Revue du monde cath.*, 1877; vel *Univers*, 17 Jun. 1877) : «... Sin autem quidam non parebunt iis quæ Ille (Jesus-Christus) per nos dixit, cognoscant offensioni et periculo haud exiguo se implicatuos esse: nos vero innocentes erimus ab hoc peccato (c. LXIX)... Eequum igitur est... cervices supponere et obedientia locum explere.... Gaudium enim et latitudinem nobis præstabitis si obedienti facti iis quæ à nobis scripta sunt per Spiritum Sanctum, eradicaveritis nefandam zeli vestri iram secundum sermonem quem fecimus de pace et concordia in hac episcopatu stolâ. Misimus autem viros fidos et castos, à juventute usque ad senectutem inculpatè nobiscum versatos, qui testes erunt vos inter et nos. Hoc vero fecimus ut cognosceritis omnem curam nostram id est spectasse et spectare ut quam celerrimè ad pacem perveniat. » (c. LXIII).

(3) Blanc, leç. XXI, 5 et ss.; XLII, 4 et ss. Atque in his duobus cfr mox dicenda.

obedivit (1). — Item et quando S. Athanasius è sede eādem Alexandrinā ab Arianis detrusus esset (2), S. Julius, Pontifex romanus, utramque partem ad suum evocavit tribunal, ejusque mandato omnes tandem se submiserunt. Et ipse quidem non tantūm praeclarum illum patriarcham redintegravit in sedem; sed et Pauli Constantinopolitani patriarchæ causam etiam examini subjicit, et hunc eodem modo restituit (3). — Magnus S. Chrysostomus, ejusdem ecclesiæ patriarcha, quum injustè depositus esset, ad Papam Innocentium scripsit, deprecans ut judicium de se institueretur (4). — Ea pauca, concludit Wiseman, è multis hujusmodi selegimus exempla ut quoddam preferremus simpliciter specimen supremæ illius auctoritatis quam Pontifices romani, per quatuor prima sæcula, non tantūm in episcopos, verūm in patriarchas etiam orientales exercebant (5). »

Contra hæc autem, adversarii quædam allegare nituntur facta è quibus appareat quosdam optimæ notæ episcopos 1º jussioni romanorum

(1) Blanc, leç. XLIII, 6. — Cfr. S. Athan. *De sententiâ Dionysii*, n. 13; et *De Synodis* n. 43.

(2) In quodam nempe concilio cui, inquit Socrates (*Hist. eccl.* L. II c. viii), « neque Julius interfuit Romanae urbis episcopus; nec quemquam eō misit qui locum suum impletet: quum tamen ecclesiastica regula vetet ne absque consensu Romani pontificis quidquam in Ecclesiâ decernatur. » — V. Blanc, leç. L, 1 et ss.

(3) Imò et plures alios ab Arianis expulsos ipse æquè restituit, « quæ est Romanae Ecclesiæ prærogativa », inquit Socrates (l. II, c. xv); — « quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat » subdit Sozomenus (*Hist. eccl.*, l. III, c. viii). — Simulque ad orientales arianæ factionis duces Julius scripsit: «..... Au ignoratis hanc esse consuetudinem ut primū nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur?...» (Ap. S. Athan.: *Apol. contra Arianos*, n. 35; — Cfr. et Socrat. l. II c. xvii; et Sozom. l. III c. x).

(4) V. Blanc, LVIII, 6. — Cfr. per pulchras ejus Epistolas, suprà indic.

(5) V. et in sæculis inferioribus exempla, adversus Græcos speciatim, ex ipsorum historiâ de prompta, ap. J. de Maistre: *Du Pape*, l. I, ch. x, in fine.

Pontificis obstisso plus quam fieri posset erga aliquem verè superiorem; imò et 2º ab illo separatos fuisse per excommunicationem vel schisma, quin tamen inde desierint de Ecclesiâ haberi, aut sanctitatis famâ exciderint. — Ita præsertim allegant tum *Quartodecimanos* à S. Irenæo defensos contra S. Victorem Papam (1), tum *S. Cyprianum*, *Firmilianum* et *Rebaptizantes* sive ex Africâ, sive ex Asiâ, quos à S. Stephano papâ dicunt excommunicatos (2), tum *S. Meletium* in «conflictu Antiocheno» (3), itemque *Euphemium*, *Macedonium*, et alios sanctos ac commendabiles viros in Acacii C. P. schismate et excommunicatione indirectè implicatos (4), etc., etc.; — atque iis exemplis, ex illo tempore desumptis quo Ecclesia haberi solet, ut aint, tanquam *indivisa*, probare confidunt non adhæsionem Papæ ut Centro Ecclesiæ, nec submissionem ipsi ut Capiti, habendam esse necessariam ut quis Ecclesiæ nomen et privilegia participare possit (5)

**Resp.** : ad. 1º: — Nil mirum si nonnulli episcopi aliunde commendabiles se suosve adversus superiorem suum defenderint aut excusaverint longius aliquando vel vividius quam decet. Id enim accidere potuit omni quidem tempore, illo autem maximè, ut in Controversiis Quartodecimanorum et Rebaptizantium, quo Ecclesia de apostolicâ simplicitate (V. suprà, p. 113, 114), aliquid adhuc retinebat, nequid tantum necesse habuerat exercere auctoritatis pontificiaæ exercitium et apparatum, quantum postea necesse habuit (6). — Verūm

(1) In his V. Blanc, leç. XXI, n. 5. 7.

(2) Id. ibid. leç. XLII.

(3) Id. Leç. LIV, 3.

(4) Id. Leç. LXVIII, 1, 2, 4, et LXXI.

(5) Ita præsertim multi ex hodiernis Anglicanis, cum duce suo D. Pusey in suo opere: *Irenicon*, etc.; in quos V. R. P. Toulemont: *Etudes des R. P. Jésuites*, juin, août, décembre. 1866. — V. etiam hæc omnia jam pridem discussa ap. Regnier: *De Eccl.*, ap. Migne, *Theol.* t. IV, p. 345-363; — vel ap. Ballerini: *De Primatu rom. Pontif.*; ibid., t. III, p. 953-975; — speciatim verò circa S. Irenæum et Quartodecimanos, V. Gorini: *Déf. de l'Egl.* t. I, ch. II; DD. Freppel: *S. Irénée*; — item, circa S. Cyprianum et Rebaptizantes, V. eundem DD. Freppel: *S. Cyprien*.

(6) Hic rectè Gorini (loc. cit. n. 12): « Sans doute la supériorité de Victor ne ressemblait guères à la suprématie d'Hildebrand ou de Pie VII. Qui donc s'en étonne, sinon ceux qui n'auront pas compris les devoirs de la Papauté? Les temps divers en déterminent diversement l'action :

ii etiam qui circa aliquod punctum Romano Pontifici obedire recusant tanquam in hoc excedenti (1), nunquam tamen ei jus præcipendi in genere denegant, aut querunt undenam ei tanta audacia ut imperare præsumat ecclesiis ab ipso è jure divino independentibus : quæ tamen fuisset simplicissima et peremptoria exceptio. — Ac demum vicit universaliter Romani Pontificis sententia : quod sanè vix fieri potuisset, tantis præsertim viris, tantis Ecclesiis primùm ex adverso stantibus, nisi ex illius parte stetisset auctoritas revera universalis (2).

*Ad 2<sup>um</sup>* : li plerique qui in exemplum allegantur, non à Pontifice Romano revera separati fuerunt. Quemadmodùm enim hodiè distinguendæ sunt excommunicatio *latae* vel *ferendæ* tantum sententiae,

» au milieu des Apôtres divinement inspirés aussi bien que saint Pierre, » elle se borne à prendre la première la parole; mais au moyen âge elle » semble toute l'Eglise. Elle peut tout quand il le faut (V. Bossuet, infrà » cit.). Son autorité est comme celle de notre mère ; elle se déploie ou se » contient suivant les besoins de son fils. »

(1) V. ap. Migne *Theol.* T. III p. 1031, observations Ballerini circa quosdam impetus Firmiliani (si tamen authenticæ revera habendæ sint ejus litteræ, nam cfr in *Patr. lat.*, T. III, p. 1361 et ss.). — Item, V. ibid., p. 1077, *notam* è Bollandistis circa quaedam etiam S. Cypriani, qui, si quid maligni in his invenitur, censendus est, juxta S. Augustinum, ea aut correxisse aut certè compensasse ubertate charitatis, et martyrio purgasse, (S. Aug. : *Epist. 93 ad Vincent.*; *De Baptism.* 1. I, n. 28; *Contra Petil.*, 22). — Cfr et in hac Tournely : *De Eccl.*, T. II, p. 87 et ss.

(2) Id apprimè notat DD. Freppel, circa controversiam speciatim *Rebaptizantium* : « La question est neuve.... Deux grands évêques la résolvent dans » un sens erroné : autour d'eux l'on adhère à leur décision ; ils ont pour eux le » prestige de la science et de la sainteté. De plus, il faut bien le dire, leur » solution a de quoi éblouir les esprits... Eh bien ! il suffira de quelques » lignes tombées de la plume du Pape, pour renverser tout cet échafau- » dage de textes et de syllogismes. Les partisans de l'innovation auront » beau résister, écrire lettre sur lettre, réunir des conciles ; les cinq lignes » du souverain Pontife deviendront la règle de conduite pour l'Eglise univer- » selle. Evêques orientaux et africains, tous ceux qui d'abord s'étaient ralliés » à l'opinion contraire, reviendront sur leurs pas, et le monde catholique tout » entier suivra la décision de l'évêque de Rome. Si c'est là un argument » contre la primauté du Pape, nous ne pouvons désirer qu'une chose, c'est » que nos adversaires en découvrent beaucoup de pareils dans l'histoire. » (S. Cyprien, leg. XVIII, in fine, p. 413. — Cfr. R. P. Bottalla, op. infrà cit., T. I, p. 157).

itemque excommunicatio *major vel minor*; ita et quid ferè analogum videre est in primis Ecclesiae sæculis. — Porro, in quibusdam è causis casibus, comminata quidem fuit, non autem lata excommunicatio. Ita, ut paret, in causâ Quartodecimanorum, rursusque in causâ Rebaptizantium (1). — In aliis autem casibus, adfuit tantum suspensio signorum communionis saltem episcopalis atque imprimis *litterarum formatarum* (V. suprà p. 121 not.), quas episcopi, ac speciali modo Episcopus romanus, ad coepiscopos mittere per plura sæcula solemne habuerunt. Nonnunquam enim contingebat quosdam episcopos, ac notatim Episcopum romanum, tales litteras episcopo alicui denegare vel suspendere, et sic ab *immediatâ* communione cum illo, saltem quatenus episcopo, abstine; quin tamen interea communicare cessarent cum episcopis vel aliis personis adhuc cum eo communicantibus ; unde cum ipso *mediatâ* communicare adhuc censebantur (2); nec ab eo, etiam externè, penitus separati haberri poterant. Ita de Meletio, dum de sede Antiochenâ cum Paulino per quamdam confusionem disceptaret (3). Ita de Euphemio, cui Papa « veluti orthodoxo favit, sed illum in episcopalem com- » munionem non admisit » (4), similiter et de Macedonio, eò quòd illi nomen Acacii anathematizati è diptycis expungere non audebant. — Nihil igitur ad rem faciunt illa omnia exempla.. Ubi verò aliqui à

(1) V. Euseb. *Hist. eccl.* I. V, c. xxiv; I. VII, c. v; — cum H. Valesii annotationibus.

(2) V. S. Optat. : *De Schism. Donat.*, I. II, c. vi; S. Hieronym., *Epist. 82, ad Theophilum*, n. 11; — utrumque cit. ap. Ballerini : *De Prim. rom. Pont.* c. xi, §, 1; *Theol.* Migne, t. III, p. 961. — Videre etiam fuit episcopos quibus, in punitionem alicujus sceleris, cum nemine permisum fuit *immediatâ* communicare nisi cum ecclesiâ suâ particulari (V. ap. S. Leon., *Epist.*, 80, n. 2, cum *notâ* Quesnelli.; *Patrol.* Migne t. LIV, p. 1396), aut intra suæ hujus ecclesiæ territorium (V. ap. S. August. : *Epist. 209, ad Cœlestin. P.*, n. 8). — li tamen omnes, ut patet, non erant à corpore episcopali penitus separati, et proinde haberri poterant ut legitima adhuc illius membra. — Cfr Zaccaria : *Antifebronius* 1<sup>a</sup> p., Diss. III, c. ii, n. 1; trad. Peltier, T. II p. 386.

(3) Cfr S. Basil. : *Epist. 258, ad S. Epiph.* n. 3, cit. ap. Regnier, p. 357.

(4) Nicephorus, ap. Nat. Alexander : *In Hist. eccl. sœc. Vi, Dissert.* XX; quam videre est in totum hoc negotium ; — vel breviūs Saccarelli : *Hist. eccl.* a. 519; t. XI, p. 69; — itemque Zaccaria : *Antifebronius*, 2<sup>a</sup> P. I. I, ch. IV, n. 4; trad. de l'abbé Peltier : T. III, p. 69; cum auctoribus ibid. cit.

Pontifice Romano verè anathematizati fuerunt, nunquam haberri potuerunt neque de facto habiti sunt extūc ut legitima Ecclesiae membra (1).

Ergo verè probatum manet è *discussione factorum* id quod jam è *discussione testimoniorum* constiterat ac juris divini declaratum fuerat, unum scilicet, in personā Romani Pontificis, semper et ubique, à primis Ecclesiae temporibus, habitum fuisse totius Ecclesiae essentiale *Centrum atque Caput*.

Atqui ex hinc statim concludere est illud reverà fuisse ita à Christo constitutum, et ab Apostolis prædicatum; nam ab immediatis eorum successoribus duplex illa probationum series incepit. — Ergo thesis nostra I<sup>o</sup> è *discussione testimoniorum et factorum* constat.

Verùm et II<sup>o</sup>, seclusâ etiam illâ positivâ testimoniorum et factorum continuitate, satis esset invenisse in aliquo sæculo suprematiam Summi illius Pontificis, tanquam è jure divino, apud omnes generatim Christianos admissam; neque tamen ullam anteà deprehendere protestationem, reclamationem, ullum immutationis vestigium; ut thesis nostra etiam **Præscriptione** probari possit (V. suprà, n. 6).

Esto enim, sicuti in quovis sæculo, ante magnum Græ-

(1) In exemplum majoris hujusmodi excommunicationis, quam romanus Pontifex erga quolibet etiam Patriarcham ferre poterat, videre est, v. g., litteras S. Cœlestini Papæ, in causâ Nestorii Patriarchæ C. P., ad S. Cyrilum Patriarcham Alex.: « *Auctoritate igitur tecum nostræ sedis adscitâ, nostrâ vice usus, hanc exequoris districto vigore sententiam.....* », quam scilicet ipsi Nestorio ita significat, ut, nisi intra decem dies sese retractaverit, sciat se « *ab omni communione Ecclesiaz catholicaz esse dejec tum.* » (Epist. S. Cœlestini XI, n. 4; XIII, n. 11). Quam quidem sententiam, post prorogatas adhuc per Papam inducias (Epist. XIV) Patres Ephesini, « *coacti per sanctos canones et epistolam sanctissimi Patris Cœlestini....* » Nestorio tandem applicuerunt (V. suprà p. 126).

corum schisma, invenire est apud omnes generatim tum Occidentis tum Orientis Christianos; unus episcopus, Romanus scilicet, agnoscitur cæteris, è jure divino, superior. — Ergo, si, ut adversaris placet, omnes episcopi, primo Ecclesiae tempore, fuerint è jure divino æquales, dicendum est magnam in fide et praxi totius Ecclesiae intervenisse mutationem.

Talis autem mutatio, — attentâ naturâ hominum, et maximâ Christianorum tunc temporis in rebus fidei et Ecclesiae vigilantiâ atque ad controversias promptitudine, — certè fieri non potuit absque advertentiâ, reclamacionibus, contentionibus. — Neque enim certè hic satis erit, cum quibusdam adversariis, allegasse vim majestatis romanæ secretam aut alias hujusmodi causas, — maximè quum Imperium, statim ut christianum, C. P. translatum sit, atque ingens illic exorta sit veteris Romæ æmulatio. Et tamen nulla ante Græcorum schisma, uti ex historiâ tantisper delibatâ constat, auditur protestatio.

Ergo nulla reapse intervenit mutatio; proindeque ille quem posteà superiorem ubique habitum invenimus, ita ab initio semper habitus erat; et quemadmodùm modò *discussione*, ita nunc et *præscriptione* constat thesis.

Imò autem III<sup>o</sup>; omissa ipsâ *præscriptione*, et illâ qualcumque historiæ inspectione, quæ ad illam adhuc necessaria erat, sufficiet invenire, in aliquo temporis puncto, omnes christiani nominis Ecclesiæ consentientes in prædicandâ summi Pontificis suprematiâ tanquam à D. N. J. C. revelatâ, ut thesis nostra probata haberi possit è **consensu veræ Christi Ecclesiæ**, quæcumque sit, proindeque Auctoritatis apud eam *infallibiliter* loquentis (V. suprà, n. 25).

Certum est enim (e cap. I<sup>o</sup>) Auctoritatem in docendâ Christi doctrinâ infallibilem alicubi inter varias christiani nominis Ecclesiæ vigere. Ergo, ubi omnes chri-